
Quam carmina illa minora, quae P. Virgilii Maronis nomini adscribi solent, post P. Pithoei et Jos. Scaligeri curas a P. Burmanno Secundo in Anthologia veterum Latinorum Epigrammatum et Poematum, Amstelod. 1759, II. Voll. 4., deinde a Wernsdorfio in Poetis Latinis Minoribus T. II. et recentius ab Heynio in Virgilii editione maj. T. IV. (T. V. ed. rec.) copiosius accuratiusque illustrata, a juvenibus antiquarum litterarum studiosis non modo non legi, sed ut parum adhuc divulgata ignorari etiam, non sine indignatiuncula quadam animadvertissem: data scribendi occasione, ex illis carminibus nonnulla, quae angustis hujus libelli finibus contineri possent, et optimo poeta digna in primisque probanda viderentur, eligere, electaque in scholae usum denuo vulgare, quorum lectionem tironibus et utilem et jucundam fore mihi persuasum habeam, ab officio, quod bonarum litterarum praeceptorum jungitur, non alienum esse existimavi. Itaque ex Catalectis, quae partim M. Fabii Quintiliani et D. Magni Ausonii, et Grammaticorum, Servii dico et Donati, testimoniis, partim librariorum fide et codicum manuscriptorum auctoritate P. Virgilio tribuuntur, licet de nonnullorum horum poematum auctoribus nihil certi constet, **EPIGRAMMATA VII**, et elegantissimum elegidion, quod vulgo **COPA**, verum rectius *Copo* inscribitur, iterum typorum ope excudenda curavi, ut juvenes, litterarum humanitatem professi et liberalibus studiis animum excolere cupientes, suavissimis his Romanae poeseos reliquiis non solum innotescerent, sed animos etiam legendo commentandoque exhilarare ingeniumque ad lectionum varietatem, qua haec poemata prae ceteris laborant, dijudicandam adsuescere possent. Quam ob causam hoc feci, ut et textum, quem dicunt, quantum pro virium mearum et subsidiorum modulo fieri posset, corruptelis foedisque vitiis, quibus contaminata haec carmina accepi-

mus, remotis, emendatum exhiberem, et lectionum variantium, sed modo potiorum, delectum easque VV. DD. conjecturas adderem, quibus lectores in difficilioribus locis adjuvarentur et judicandi facultatem libere possent exercere. Neque abs re fuerit, similes aliorum veterum poetarum locos hic illic indicavisse, si qui perspicuitati inservire possent. In eorum hominum gratiam, qui Latina non intelligunt, humanitatis tamen studia non aspernantur, versionem Germanicam adscripsi, et quae ad necessariam et rerum et personarum explicationem pertinerent, breviter adnotavi. In quibus si quid a me peccatum repererint Lectores eruditi, id sua eruditione benigne corrigere suisque me admonitionibus humaniter juvare velint.

Jam hoc quidem loco non queo mihi temperare, quominus gravissimam illam, quam Schola nostra THUMII, collegae conjunctissimi, praematura morte a. d. VIII. Id. Jul. a. c. passa est, jacturam commemorem, defunctoque amico monumentum quantulumcunque, non aere perennius scilicet, verum ad pietatis et amoris significationem satis idoneum, lubens pro virili parte statuam. Itaque elegiam, THUMII memoriae dicatam, ut humanissimi Lectores aequi bonique facere et professione pietatis excusatam habere velint, etiam atque etiam rogo. Denique si cui horum poematorum lectio aut profuerit, aut aliquam attulerit voluptatem, hanc qualemcunque operam bene a me collocatam existimabo.

*Ex P. Virgilio Maronis Catalectis
Epigrammata VII et Copo.*

I.

IN C. ANNIUM CIMBRUM RHETOREM.

Corinthiorum amator iste verborum,

Iste iste rhetor! Namque quatenus totus

Thucydides Britannus, Atticae febris,
 TAU Gallicum, MIN Hisp, et AL — male illi sit!
 Ista omnia, ista verba miscuit fratri.

I. Lepidum hoc, sed insigniter corruptum, epigramma a P. Virgilio profectum esse, duobus veterum scriptorum locis, et Quintiliani et Ausonii, confirmatur. Prior locus Instit. Or. VIII, 3. §. 28. hic est: *Quaedam tamen adhuc vetera vetustate gratius nitent, quaedam etiam necessario interim sumuntur, nuncupare et fari; multa alia etiam audentius inseri possunt; sed ita demum, si non appareat affectatio: in quam mirifice Virgilius: jam sequuntur in contextu quinque illi versus, quos disertim Ausonius inter Maronis Catalecta refert in Monosyllab. Id. XII. Technopaegnon: Grammaticomastix v. 5 — 7.*

*Dic, quid significant Catalecta Maronis? in his AL
 Celtarum posuit, sequitur non lucidius TAU,
 Et quod Germano mistum male letiferum MIN.*

Deinde Quintilianus l. l. ita pergit: *Cimber hic fuit, a quo fratrem necatum hoc Ciceronis dicto natatum est: Germanum Cimber occidit. Locus Tullianus exstat Philipp. XI, 6. in satyrico illo exercitus Antoniani recensu: Lumen et decus illius exercitus paene praeterii, C. (T.) Annium Cimbrum, Lysidici filium, Lysidicum ipsum Graeco verbo, quoniam omnia jura dissolvit, nisi forte jure Cimber Germanum occidit. Idem lusus ambiguus in voce Germanus legitur apud Vellej. Pat. II, 67. Augustus Imp. hunc rhetorem et antiquarium inter malos loquendi auctores retulit, quum Tiberium exsoletas interdum et reconditas voces aucupantem irrideret, ut refert Suetonius in vita Octav. 86. Plura dabit Im. G. Huschkius in Commentatione de C. Annio Cimbro scripta, quae prodiit Rostochii 1824. Virgilius igitur, barbarum et soloecum pronunciandi et verba truncandi morem Cimbro exprobrans, eum fratri venenum ita miscuisse ait, ut illa barbare pronunciata verba tanquam pro tot veneni generibus contriverit. Ex Quintiliani quidem verbis colligere licet, Cimbrum vetusta et obsoleta verba affectasse, truncata et ridicule decurtata, uti nunc leguntur, non item; quae*

tamen jam Quintiliani et Ausonii aetate in libris lecta fuerunt. Nunc singula breviter adnotabimus. Versu 1. *verba Corinthia* vel ad luxum et delicias Corinthiorum, ex quorum effeminata vivendi ratione sermonis quaedam affectatio facile oriri poterat, vel, quod mihi minus placet, ad aeris Corinthii misturam pertinere videntur. Codd. et vett. edd. nonnullae praebent: *Hornitiorum*, *Hormetiorum*, *Hormethiorum*, quas corruptelas ex vitiosa scriptura *Chorynthiorum* ortas esse Heynius putat; sed meliores libri tuentur *Corinthiorum*, quod recepit Burm. — 2. Hic versus in plurimis Quintiliani Mss. desideratur. — 3. *Britannus*. Sic major et melior Msstorum pars; alii *tyrannus*. Cimbrum cum Caesare in Britannia versatum fuisse, aut illius expeditionis historiam composuisse verisimile est. Inepte certe imitatus est Thucydidem. Similiter Cicero Ep. ad Q. Fratrem II, 13. *Philistus paene pusillus Thucydides*. — *Atticae febris* notat frigidum Atticismi studium, quem tum multi Romae oratores et rhetores affectabant, imprimis Cimber, quippe qui ipse Graecae originis esset. Werlhofius proposuit *Attice febris*, ut ipso vocabulo (*Ἀττικῆ*) illa affectatio tangatur. — 4. Versus est corruptissimus et tanta conjecturarum et lectionum variantium multitudine quasi obrutus, ut, quae genuina fuerit, eruere vix possis. Longum est, omnes enumerare. Codd. tuentur verba priora *TAU Gallicum*; sequentia vacillant. Vulg. *spinae ipsemet male illisit*, aut *min, al, spinae m. ill.* Cod. Goth. Quintilian. *enim et spinae*, sed *spinae* repugnat metro, ideoque locum tenere nequit. Ed. Ald. *minet pro sinet*. Scaliger correxit: *min ipsum et al ei illisit*. In cod. Ambrosiano Quintiliani praestantissimo scriptum est: *enim — et spinet, male illi sit*. Luenemannus ad Quintiliani l. l. bene emendaverat *Min Hisp*, nam minii Hispanici pulvis pernicialis fuit; vide Plinii Hist. Nat. XXXIII, 40. Equidem ex Luenemanni conjectura et cod. Ambrosiani lectione versum ita, ut supra scriptus est, constitui, ex quo apparet, Cimbrum tria venena miscuisse, primum sanguinem taurinum, Plinio H. N. XI, 90. docente, potu maxime pestiferum, qui hoc loco vel propter Gallicam verba pronunciandi rationem, vel quod rhetor in Gallia commoratus fuit, Gallicus dicitur; deinde minium Hispanicum, tertium addidisse allium, quod cicutis nocentius descripsit Horatius Epodo III. — 5. *Ista*. Alii *ita*. Werlhof. *ut*, et antecedenti versu conj. *male illi sit*.

II.

AD VENEREM sive DEDICATIO AENEIDOS.

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
 O Paphon, o sedes quae colis Idalias,
 Troius Aeneas Romana per oppida digno
 Jam tandem ut tecum carmine vectus eat:
 Non ego ture modo, aut picta tua templa tabella 5.
 Ornabo, et purisserta feram manibus;
 Corniger haud aries humilis, sed maxima taurus
 Victima sacratos tinguet honore focos,
 Marmoreusque tibi, dea, versicoloribus alis
 In morem picta stabit Amor pharetra. 10.
 Adsis, o Cytherea! tuus te Caesar Olympo
 Et Surrentini littoris ora vocat.

II. Virgilio hoc elegantissimum epigramma nuper vindicavit G. L. Walchius in Comment. ad Taciti Agricolam p. 112. — 1. fuerit. Librarii interpretamentum est *dabitur*. — Sil. Ital. XII, 695. *fuerit delere Saguntum*. — *decurrere*. cf. Virg. Georg. II, 39. — 5. Heins. conj. *pacta*, quoniam v. 10. *picta* iteretur. Sed vide Horat. Ep. II, I, 97. — 6. Burm. *aut*. — 7. Vulg. *Corn. hos aries humiles et m. t. V. sacratos* etc. Heynio *hos humiles focos* conjungendum, legendumque cum Heinio videtur *sacrato*. Burm. emendavit: *C. haud aries humilis sed — sacratos*. Idem ἀροστελεύτιον Virg. Georg. II, 146. — *honore* i. e. sacrificiis. Ovid. Fast. III. 727. Trist. II. 76. — 9. Cf. Virg. Ecl. VII, 31 sq. ibique J. H. Voss.

III.

AD TUMIDOS RHETORES.

Ite hinc, inanes rhetorum manipli, ite,
 Inflata rore non Achaico turba,

Et vos, Aelique, Tarquitiq̄ue, Varroque,
 Scholasticorum natio madens pingui;
 Ite hinc, inanes, cymbalon juventutis, 5.
 Tuque, o mearum cura, Sexte, Musarum,
 Vale, Sabine; jam valete formosi.
 Nos ad beatos vela mittimus portus,
 Magni petentes docta dicta Syronis,
 Vitamque ab omni vindicabimus cura. 10
 Ite hinc, Camenae! limine ite vos actae,
 Dulces Camenae; nam fatebimur verum,
 Dulces fuistis, et tamen meas chartas
 Revisitote, sed pudenter et raro.

III. Heynius inscripsit: *Relictis aliis studiis philosophiam Epicuream amplectitur.* — 1. *ite* in fine versus a VV. DD. additum est, ut integer fieret choliambus. — 2. *turba* recepit Burm. Vulg. *verba. Ros Achai-cus*, ut Cecropius apud Martialem VIII, 68. *Cujus Cecropio pectora rore madent*, dicitur pro Attica vel Graeca eloquentia; de quo verbi usu disseruit Graevius in Lect. Hesiod. c. XXII. — 3. Ita Is. Vossius correxerit, metro quidem repugnante, quod tamen in nominibus propriis a veteribus poetis interdum negligitur. Vulg. *Et vos, Sile, Albuti, Arquitiq̄ue, Varroque.* L. Aelii Stilonis Praeconini mentionem faciunt Sueton. de ill. Gramm. c. 3. et Gellius N. A. II, 21. V, c. ult. I. Tarquitiu libros de disciplina Etrusca et Ostentarium i. e. de ostentis, scripsit. Macrob. Sat. III, 7. C. Albutius Silus a Suetonio de cl. Rhet. c. 6. memoratur. Varro est Terentius ille, Polyhistor. — 4. *Scholastici* sunt declamatores, in umbra circa fictas hypotheses occupati. Vid. Casaub. ad Suet. de cl. Rhet. c. 6. et Interpr. ad Petron. c. 6. *ingens scholasticorum turba in porticum venit.* — 5. Vulg. *inanis cymbalon juventutis.* Burm. *inanes, cymb.* Mihi placet *inane cymb.* Eodem sensu, Plinio teste Hist. Nat. Praef. p. 8. ed. Bip. Tiberius Caesar Apionem Grammaticum *cymbalum mundi* vocabat. — 6. *Musarum* Heinsii est correctio;

vulg. *curarum*. Schrader. *chartarum*—7. Alii *famosi*, alii *fumosi* i. e. quasi *καπνολόγοι*, *καπνοπῶλαι*, malunt.—9. Syron philosophus Epicureus fuit, Virgilio magister; laudatus a Cicerone de Fin. II, 35. ad Fam. Ep. VI, 11. Antiqua scriptura est: *Ite hinc Camenae vos limite sene vel seve*, et addita sunt *nam vos vel vos quoque*. Heynius latere putat *divae* et exquisitius Musarum epitheton. Scaliger proposuit: *vos quoque, ite Misenae*, quae propter secessum Neapolitanum et Surrentinum ita dicuntur. Equidem arbitror vocem *limite* ex compendio scribendi *lim ite* ortam esse; in *seve* quid lateat, haereo; interim, dum meliora afferantur, scripsi *actae*.—12. *nam*; vet. ed. *animum*, sed vid. Virg. Ecl. 1, 32.—13. *chartas* i. e. codicillos pugillares. Burm. ad Phaedr. lib. V. prolog. 18.

VI.

AD VILLAM SYRONIS.

Villula, quae Syronis eras, et pauper agelle,
 Verum illi domino tu quoque divitiae:
 Me tibi et hos una mecum, quos semper amavi,
 Si quid de patria tristius audiero,
 Commendo, in primisque patrem. Tu nunc eris illi, 5
 Mantua quod fuerat, quodque Cremona prius.

IV. 2. Jo. Schraderus, Heynio iudice, bene emendavit *tum quoque*.—3. Heynius edidit *et quos*; utrum ex codd. an ex ingenio, non liquet. Burm. omisit.—5. Conf. Catull. XV, 1.—6. Cod. Voss. *quodve*. De tempore, quo poeta hoc politissimum poemation scripserit, vide adnotata ad versionem Germanicam.

V.

IN POMPEIUM MAGNUM.

Adspice, quem valido subnixum gloria regno
 Altius et coeli sedibus extulerat:
 Terrarum hic bello magnum concusserat orbem,

Hic reges Asiae fregerat et populos.
 Hic grave servitium jamjam tibi, Roma, ferebat, 5
 Cetera namque viri cuspide conciderant;
 Quum subito in medio rerum certamine praeceps
 Corruit, e patria pulsus in exsilium,
 Tale deae numen; tali mortalia nutu
 Fallax momento temporis Hora dedit. 10

V. In inscriptione vulgo, additur VEL IN MITHRIDATEM. Ruhakenius ad Vellej. II, 18, 3. de illo celeberrimo Ponti rege, cui nomen Magni imponi solet, hoc epigramma intelligendum et argumentum ex Ciceronis Or. pro Murena c. XV. sumtum esse statuit. Oudendorpius perperam ad Alexandrum Magnum retulit. Quae hoc epigrammate memorantur, in neminem verius dici posse videntur, quam in Pompejum M., qui a C. Julio Caesare Roma et ex Italia in exsilium quasi pulsus, quum Urbi servitium sive optimatum, dominationem minitatus esset, pugna Pharsalica profligatus praeceps corruit. Ceterum ejus caede Romae nondum cognita hos versus compositos esse statuo. — 2. Heyn. conj. *Altius heu*. — 3. Ruhnk. *Terrore hic belli*. Burm. pro vulg. *magnum* scripsit *Magnus*, quo nominiae gaudebat Pompejus. — 4. Cod. Voss. et ed. Ven. *hic populos*. — 5. Ita cod. Voss. Vulg. *tibi, jam tibi* — 9. *tali mort*. Heyn. *pessum mortalia* — *dedit*; i. e. dare solet. Pro *dedit* leg. Ruhnk. *premit*, comparans Ovid. Trist. III, 11, 67. Heynius conj. *rapit* vel *quatit*; equidem his conjecturis addiderim *ruit*. Sed his non opus est, si quidem *nutu* pro *nutui* sumatur, quae dativi forma etiam apud Virgilium occurrit Georg. IV, 158. saepius apud Caes. de B. G. I, 16. VI, 42 ibique Interpr. Probatur etiam a Gellio N. A. IV, 16. *Hora* est h. l. *Fortuna* in horas varians, quae temporis momento fallax res mortales tali nutui i. e. imperio dedit i. e. tradidit sive tradere solet.

VI.

AD ANTONIUM MUSAM.

Quocunq; ire ferunt variae nos tempora vitae,
 Tangere quas terras, quosque videre homines:

Dispeream, si te fuerit mihi carior alter;
 Alter enim quis te carior esse potest?
 Cui Venus ante alios, divi divumque sorores 5
 Cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona;
 Cuncta, quibus gaudet Phoebi chorus ipseque Phoebus;
 Doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
 O quis te in terris loquitur jucundior uno?
 Clio tam certe candida non loquitur. 10
 Quare illud satis est, si te permittis amari;
 Non contra ut sit amor mutuus inde mihi.

VI. Antonius Musa, politissimi ingenii vir, medicus et libertus Augusti fuit, nisi forte rhesor Musa est, cui poeta hoc epigramma scripserit. — 7. Ita Scaliger ex Virg. Ecl. VI, 66. emendavit. Vulg. *Phoebus, chorus ipseque Phoebi*. — 10. Casaub. correxit vulg. *nam. Candida* i. e. elegantia et simplicia. In Anthol. lat. lib. III. ep. 213. legitur: *candida verba dare*, et apud Petron. c. 132. *candida lingua refert*. An alias *Clio*, historiae Musa, propter sermonis suavitatem vel simplicitatem celebretur, nescio. In mentem mihi venit legere *Pitho* i. e. *Πιθω*, apud Romanos Suada sive Suadela, de qua docte disseruit C. A. Boettiger V. Cl. in commentario *de nuptiis Aldobrandinis* p. 39. At missum faciamus illud commentum, maneatque *Clio* inviolata. — 12. Cf. Ovid. Her. XV, 96. Catull. LXXVI, 23.

VII.

IN OCTAVII MORTEM.

Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? an, quae
 Dicunt, ah nimio pocula ducta mero?
 Mortis si culpa est bilis: sua quemque sequuntur
 Fata: quod immeriti crimen habent cyathi?
 Scripta quidem tua nos multum mirabimur, et te 5

Raptum, et Romanam flebimus historiam.

Sed tu nullus eris. Perversi, dicite, Manes,

Hunc superesse patri quae fuit invidia?

VII. Octavius fuit, aut ejus meminit Horatius Sat. I, 10, 82., aut cui Virgilius Culicem dedicavit, aut M. Octavius Hirsennius, Historicus, de quo vid. Voss. de Hist. Lat. lib. III. p. 714 sq. — 2. Vulg. *dura*, unde Oudendorp. conj. *dira*, Heins. *ducta*, cf. Horat. Od. I, 17, 21. Ovid. Met. XII, 316. Pro *ah* Heynius edidit *an*. Cod. Voss. *Dicuntur animo*. — 3. Recepti Fr. Jacobsii emendationem. Cod. Voss. habet: *Vobiscum si est culpabili*, ex quo Heinsius refinxit: *Haud necis in culpa est bilis*, vel: *Vobis sic culpa est bilis?* Heynius commentus est: *An magis in culpa est bilis?* vel *Fervida an in c.* vel *An tumida in c.* Sed quis illum praestet? P. Victorius ad finem posuit totum distichon, ita interpungens, deleto post *invidia* puncto: *Vobis: si culpa est bilis, sua quemque sequantur Fata, quid* etc. Equidem vestigia scripturae Cod. Voss. sequutus scribendum existimo: *Nobiscum culpa est leti*. — 4. Alii *quid*. — 7. Cf. Virg. Ecl. III, 13. Aen. VII, 584. — 8. Cf. Virg. Aen. IV, 350.

VIII.

P. VIRGILII MARONIS COPO.

Coppa Syrissa, caput Graja redimita mitella,

Crispum sub crotalo docta movere latus,

Ebria fumosa saltat lasciva taberna,

Ad cubitum raucos excutiens calamos.

Quid? juvat aestivo defessum pulvere abisse? 5

Quam potum bibulo decubuisse toro!

Sunt obbae, calices, cyathi, rosa, tibia, chordae,

Et trichila umbriferis frigida arundinibus.

Est et, Maenali quae garrit dulce sub antro,

Rustica pastoris fistula in ore sonans, 10

Est et vappa, cado nuper defusa picato;

Est trepidans rauco murmure rivus aquae;
 Sunt et Cecropio junctae de flore corollae,
 Sertaque purpurea lutea mista rosa,
 Et quae virgineo libata Achelois ab amne 15
 Lilia vimineis attulit in calathis.
 Sunt et caseoli, quos scirpea fiscina siccant.
 Sunt autumnali cerea pruna die;
 Sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis,
 Et pendens junco caeruleus cucumis; 20
 Castaneaeque nuces, et suave rubentia mala;
 Est hic munda Ceres, est Amor, est Bromius.
 Est tuguri custos, armatus falce saligna,
 Sed non et vasto est inguine terribilis.
 Huc, Cybelita, veni! fessus jam sudat asellus; 25
 Parce illi, Vestae delictum est asinus.
 Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae,
 Nunc etiam in gelida sede lacerta latet.
 Si sapis, aestivo recubans te prolue vitro,
 Seu vis crystallo ferre novos calices. 30
 Eia age! pampinea fessus requiesce sub umbra,
 Et gravidum roseo necte caput strophio.
 Formosus tenerae decerpes ora puellae;
 Ah! pereat, cui sunt prisca supercilia!
 Quid cineri ingrato servas bene olentia sarta? 35
 Anne coronato vis lapide ossa tegi?
 Pone merum et talos! Pereant, qui crastina curant!
 Mors aurem vellens: vivite, ait, venio!

COPO. Vulgo inscribitur COPA, quae vox mulierem cauponiam sive saltatricem ex genere Ambubajarum (Horat. Sat. I, 2, 1.) significare perperam dicitur. In edd. vett. legitur *Coppa*, quod ex initio carminis ductum est. Genuinam inscriptionem COPO restituit C. D. Ilgen, Scholae Portensis decus et praesidium, in libello, cui titulus est: *Animadversiones philol. et crit. in carmen Virgilianum, quod COPA inscribitur. Lipsiae, 1821. (prim. prodiit Halis, 1820. 4.)* Nimirum poeta, quem alii Virgilium, alii Septimium Serenum, Ilgenius T. Valgium Rufum esse credunt, in hac suavissima elegia cauponem s. coponem facit loquentem et praetereuntibus viatoribus tabernae, qua devertant, delicias commendantem; dum crotalistris Syrisa spectatores saltatione delectat.

1. *Coppa* leg. in vett. edd. Vulg. *Copa*. Est nomen proprium saltatricis Syrae, ex lingua Semitica explicandum, quod Ilgenio docente amasiam sive Ἐρωτίων significat. — Vulg. *Syrisca*, quod deminutivum est nominis proprii Syrus s. Syra. Codd. habent recte *Syrissa*, quo patria crotalistris indicetur. — 3. Vulg. *famosa*. Ilgen. conj. *formosa*. Cod. Helmstad. *fumosa*; cf. Cic. pro. Sext. 10. Senec. Ep. 64. Burm. ad Petron. Sat. 135. p. 830. sq. — 5.6. Ita em. Ilgen. Vulg. *abesse*. Idem reposuit *potum* pro vulg. *potius*, quod interdum omitti docet Bremi V. C. ad Corn. Nep. Dat. 8. — 7. In codd. legitur: *Sunt strophia et calices, s. cuppa et calices s. calibes, s. topia et calybae s. kalybes*; in schedis Pithoei: *Sunt topi, calibes*, quibus Scaliger Syrorum tympana (a voce Semitica *Tup* s. *Tuph* Graeca derivanda est) et aera (χάλυβες) crotalorum intelligit. Calybae dicuntur crepitus crummatum. Benth. ad Horat. Sat. II, 2, 123. Ilgen. posuit *Sunt obbae, calices*, obba enim genus poculi est. Wernsdorfius *topia* de opere topiario intellexit. Cuppa ab hoc loco sunt alienae. Scaligeri interpretatio cauponis verba nimis docta reddit. — 9. 10. Alii *En hic s. et — sonat*. Vulg. *more*. Edd. vett. *in ore*, cf. Tibull. II, 5, 30. — 11. Vulg. *diffusa*. Vide Horat. Sat. II, 2, 58. Ep. 1, 5, 4, Od. IV, 5, 34. Virg. G. IV, 115. ibique J. H. Voss. — 12. Vulg. *strepitans*, unde Heinsius *trepidans*. Horat. Od. II, 3, 22. Ep. I, 10, 21. Codd. Voss. *crepitans*. — 13. Ita codd. Voss. et Leid. Vulg. *croceo violae*. Violae est interpretamentum floris Cecropii. Burm. scripsit *Corycio*, cf. Horat. Sat. II, 4, 68. J. H. Voss. ad Virg. G. IV, 127. — 15. *Libata* signif. electa, ad singularem usum

destinata. — 16. Cf. Propert. III, 11, 30. — 17. Ita cod. Leid. et ed. Junt. Vulg. *junceae*. Tibull. II, 13, 15. — 19. Vulg. *lentis*; verum *racemi* non sunt palmites. Cod. Leid. *lactis*. Ilgen. comparans Ovid. Trist. IV, 6, 9. cum Heinsio legit *tentis* i. e. extentis. Propertius IV, 2, 13 sqq. loco simili *racemos liventes* dixit. Ne locum ἀστυβόλωσ relinquam, equidem scripserim aut *plenis* i. e. tumidis, cf. Virg. G. II, 102; aut *pictis*, cf. Ovid. Fast. III, 413. quod melius respondet verbo *cruenta*. 19 — 22. Vulgo distichon, *Castaneaeque* etc. praeponitur alteri, *Sunt et mora* etc. Cum Ilgenio transposui, quum finita enumeratione deliciarum, quas offert caupo, aptum sit subijcere notiones, quibus omnia illa bona in universum significantur. — 20. Conf. Propert. IV, 2, 43. — 21. Virg. Ecl. II, 54. — 23. Cf. Virg. G. IV, 110, — 24. Pro *et* scripsit Ilgen. *ex*, i. e. per. — 25. Ex MSTis Heynius ed. *Calybita*. Cod. Petav. habet *Huic Calibita venit*; alii codd. Junt. et Ald. *Huc Alibida veni*. Quae si genuina est lectio, vocem a poeta primum formatam habemus, ut similia apud Plautum occurrunt. Alibida enim esset alibi natus, peregrinus. *Calybita* derivatur a *καλύβη*, quae Semiticae originis vox pergulam sive tugurium significat; *Calybita* igitur est homo in pergulis frequens, ganeo, lurco. At ejusmodi appellatio in re nota nimis docta foret. Quum *καλύβη* etiam de aedicula Cybeles dicatur, hujus deae sacerdos, qui alias *μητρογύρτης* appellatur, intelligi potest. Neque hoc placet Viro acutissimo, Ilgenio, qui ita versum constituit:

*Huc Idaea venit, lassus jam sudat asellus;
Parcit ei; Vestae delictum est asinus.*

Vulg. *vestrum*; in nonnullis codd. *vestrae*. Is. Vossius verissime *Vestae* scripsit. cf. Ovid. Fast. VI, 319 sqq. Monente censore V. D. I. Comment. Ilgenii in Seebodii Bibl. crit. 1822. fasc. I. p. 85. equidem *Cybelita* scripsi, et lect. vulg. *Parce illi*; nam *Parcit ei* scil. Priapus, durum videtur, et pronominis enclitici *is* usum elegantiores poetae fugere solent. Vid. Bentlej. ad Horat. III, 11, 18. et I. C. Iahnii, amicissimi mei, observatio in Annal. philol. et paedag. 1829. fasc. IX. — 27. Cf. Virg. G. III, 323. — 28. *latet tuentur* Cod. Helmst. et Junt. cf. Virg. Ecl. II, 9. In codd. Voss. et edd. vett. *sedet*. — 29. Scaliger correxit *te proluet*, cf. Virg. Aen. I, 739. Vulg. *nunc Aestivo*, cf. Propert. IV, 8, 37. — 31. Conf. Virg.

Ecl. VII, 10. — 33. Ita codd. Voss. et edd. vet. Alii *Formosum* — *decerpas* s. *decerpens*. Ex cod. Bembi Scaliger scripsit: *Candida formosae decerpes ora puellae*. Oudendorpius correxit: *Fac, morsu tenerae decerpas ora puellae*; unde Ilgenii fluxit conjectura, *Fac, morsus tenerae decerpes ora puellae*; ad quam confirmandam comparat ille Catull. LXVIII, 127. Ov. Met. IV, 358. Virg. Aen. XII, 434. Nostra lectio codd. auctoritate fulsa est. Cur basiator ille *formosus* dicatur, patet ex antecedenti versu; *decerpes* est pro simplice *carpes* i. e. adrodes, atterres, delibabis ora puellae. — 34. Codd. Voss. *pereant quoi*. Cod. Helmst. *quibus haec*. *Prisca*, i. e. quae priscam severitatem ostendunt. Alii codd. et edd. *crispa*. Similiter Catull. LXI, 159. Horat. Od. III, 21, 11. — Vulg. *ista legi*. Codd. et edd. complures *tegi*, quod, mutata voce *ista* in *ossa*, reposuit Ilgenius, comparans Ovid. ex Ponto III, 9, 28. I, 9, 54. Met. XV, 56. Wernsdorfius: *Anne coronando vis lapidi ista legi?* Vulg. *lapide* correxit Heynius, *lapidi*. — 37. *Pone*: Copo ad puerum se convertit. Similiter Horat. Epod. IX, 33. Heinsius pro *talos* perperam legebat *calathos*; cf. Propert. IV, 8, 45. Vet. edd. *Pereat, qui — curat*. — 38. In quibusdam edd. *Mors autem veniens*; sed *aurem vellens*, quod optt. codd. et edd. tuentur, est Virgilianum. Ecl. VI, 4.

Uebersetzung der acht kleinern Gedichte des P. Virgilius Maro.

I.

AUF DEN RHETOR C. ANNIUS CIMBER.

Seht da den Freund der ächt Corinth'schen Sprachweise,
Den Redekünstler! denn er ist so weit ganz ein
Thucydides der Britten, voll Athens Wörtfrost,